

Tom. q. 56. artic. 7.

24 ¶ Cum in Indorum populis & nouis cō-
 uersionibus non femel contingat Sacerdotem
 vnicum, & Diaconum simul cohabitare & co-
 existere, dubium est, An Diaconus Religiosus
 possit hoc Sacramentum ministrare Fratribus
 aut secularibus in aliqua necessitate?

¶ Sanctus Thomas. 3. p. q. 82. art. 3. & in 4.
 d. 12. q. 1. art. 3. & Richardus art. 1. q. 3. eiusdem
 distinctionis, & Durandus. q. 4. & Irrefraga-
 bilis Doctor Alexander Halensis. 4. p. q. 50.
 membro tertio, & Summistę, ver. Eucharistia, &
 ver. Communicare, docent ex Conciliis Niee-
 no, Arelateno, & Carthaginēsi, Diaconos in ne-
 cessitate, & iussu presbyteri hoc posse: ita q̄
 ad hoc est necessaria iusta causa, vltra mandatū
 presbyteri. Ex quo nulla causa interueniente
 iniquum, & contra ius esset tale mandatum,
 aut licentia, & nullo modo obligaret, nec obe-
 diri posset, quando certo constaret nullam in-
 teruenire huiusmodi causam. Secus vero esset,
 quando hoc non constaret: nam tunc paren-
 dum est Superiori, vel credendum Episcopo,
 aut presbytero causanti impedimentum, quā-
 uis inferiori esset ignotum. Maximè quia non
 oportet hanc causam esse extremam, sed mo-
 ralem.